DE SINGULARIS MONSTRI HISTORIA QUAM AD MEDICINAE AC CHIRURGIAE...

Giovanni Domenico Roncalli



DE
SINGULARIS MONSTRI HISTORIA

QUAM

AD MEDICINAE AC CHIRURGIAE LAUREAM

RITE CONSEQUENDAM

IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICE PROPONIT

JOANNES DOMINICUS RONCALLI

RHODIGINUS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXXVIII



BENEMERITO AC DOCTISSIMO

PROFESSORI

JOSEPHO ANTONIO DOCT. BONATO

JOANNES DOMINICUS RONCALLI

Tibi, quem voluptate variae ac nullis numeris definitae monstrorum species a vegetantium regno prolatae afficiunt, novum tibi, humanissime Professor, hac die mihi faustissima, et alterius generis monstrum offero, quod autem potius quam oblectamento animum tuum miseratione commovere valebit. Comiter hoc opus excipe tu, qui istiusmodi scripta, quae manibus non adhuc firmis exarantur, censoria virgula, ut nonnulli

more proscribendo solent, carpere non assuescis; excipe benigne, et latam brevissimi mei laboris mercedem tua indulgentia rependet. Vale.

DE

SINGULARIS MONSTRI HISTORIA

Summum mihi, ac admiratione dignum esse videtur, quod natura, cui omnia, quae vivunt, crescunt, ac sentiunt, quidquid sunt debent, quam philosophi omnis aevi matrem sedulam, aeque liberales ejus largitiones impartientem existimarunt, quod natura quaedam ex perfectioribus entibus tem physicis, quam moralibus muneribus plenis manibus exornet, dum nonnullis hujuscemodi classis multa vel ex illis, vel ex istis desiderantur. Verum equidem, indubitatumque est, quod interdum si unum vel alterum illis privet, eadem istorum copia ac perfectione remunerari solet, sed saepe saepius obvium est, et praxi quotidie comprobatur, quod moralia munera physicorum inopiam rependere non valeant, ex eo quod istorum parcitas compluries in causa est, quod nonnulla earum functionum desit, quae ad hominis perfectionem necessario concurrit. Argumentum reapse, quod ego elegi,

subjectumque, quod hac in die mihi faustissima vestris animadversionibus offero, meum propositum in claram lucem ex omni dubio edere consbitur.

Sanctes Donato Adriensis, aetatis annorum quindecim, temperamento asthenico-incitabili, ac corporis habitu delicatulo, gracilique donatus, ea est victima, quae prius quam vitam ageret istius non dicam matris, sed potius dirae novercae injuriam pati visa est. Sanctes noster a genitoribus bene valentibus, qui alios natos plena salute gaudentes, ubique perfecte evolutos in lucem protulere, ortum duxit. Regulari mater gestatione fruita est, si quamdam perturbationem excipiamus, quam in primitivo graviditatis periodo ob vivum *Cardui edulis* desiderium passa est, quae tantam in ejus animum vim exercuit, ut sensibus caderet; de cetero omnia in melius processerunt, et mensibus jam exactis marem peperit, qui dum omnibus aliis partibus perfectae evolutionis characteres praeseferebat, praeternaturalem ad organa genitalia exhibebat conformationem, qua autem oculis subjecta de illius sexu ab omni dubio decedendum erat: et reapse cum imi ventris cutis ad pubis regionem perveniret, ac horizontales ejus ramos exsuperaret sub eamdem se immittit, et subtilissima cavitatem ibi efformatam investit, quae circiter unius pollicis profunditatem offerendo sensim sensimque coarctatur et deprimitur, donec in foramine desinit, quod in statu naturali duarum vel trium linearum diametrum exhibet, quod autem ob nonnullas rugositates, quibus insignitur admodum augeri potest; hoc foramen in vesicam urinariam, cujus est initium, perducit, et interna istius

visceris membrana oculis subjicitur, si illud levi nisu ars latius fieri conetur; circularis vero totius cavitatis est hiatus, et a semicirculo inferiori corpus horizontale rugosum prominet canis linguae ad basim truncatae simile, non nihil concavum superius, et hoc nil aliud est, quam cutis continuatio, quae vel inferius antedictam cavitatem investit, vel quae a scroto ad praedictum corpus efformandum ascendit, praeputio respondens, quod superne fixum, et ita ad latera depressum videtur, ut illud efformet, quod penis capiti, seu glandi basim praebet, qui frenuli ejusque inferioris superficiei ope eidem adhaeret; glans dimidii pollicis diametrum offert, et bis tertiarum ab ipsa cavitate ita prominet, ut eminentia a corpore horizontali antedicto per pollicis circiter dimidium exsuperetur; glandi continua sunt corpora penis cavernosa, quae dum cavitatis cui adhaerent inferius occupant, paullatim in arctum contrauntur, ac visibilis eorum pars pollicis dimidio vix praestans in praedictum foramen desinit; tecta tantummodo corpora penis cavernosa a membrana hisce propria a sulco non nihil profundo superius dividuntur, qui ex aequa circiter glandis parte initium capit, et ad spectabilem eorumdem extremitatem transfertur. Ex corporis horizontalis, da quo supra, cum inferiori circuli segmento, quod os designatum offert, unione duo sulci originem trahunt, per quos urina, quae ex dicto foramine scatet, corpora penis cavernosa ad latera cursu pertingens continuo effluit, ac insanabilem enuresim gignit. A corporis horizontalis radice scrotum pendet, in quo testes non nihil parvi continentur, quod crassum est, et ob urinae

fluxum qua absque intermissione humectatur anterius crustosum incedit.

Instituta per anum exploratione, nullum mihi prostatae vestigium reperire datum fuit; quamobrem ea opinione versor, quod Sanctes noster hac glandula destitutus sit. Indubium autem, compertumque est uretram omnino deesse, quod nullo negotio agnoscitur si praedictum foramen in vesicam directe inferri consideretur. Animadversionibus autem dignum mihi esse videtur, quod lamina ejus interna foramini ipsi posterius ex partibus superioribus non nihil deprimatur, et tuberculum rubicundum, valde sensile, quandoque sanguinem effluens efformet, quod inferius incumbit, ac urinam majori quantitate affluere praepedit; ex partibus autem ejusdem membranae inferioribus corpusculum exsurgit, quod quantum conjectura auguror granum hordeaceum ad cujus latera ostia sic dicta seminalia forsan aperiuntur, considerari potest; cum autem pubertatis aetas ob inertem evolutionem serius absolvenda in scenam prodeat, tunc hujusce-modi quaestio ex dubia certa reddetur. Mihimetipsi spectare accidit, quod cum easdem partes ad earum structuram recte definiendam tangerem corpus horizontale extolleretur, ut ad imum ventrem corrugatum accederet, quamobrem arbitror quod levis hicce turgescentiae gradus eas erectiones quarum ope vir aliunde perfecte evolutus generationis actum aggreditur, fingere valeat.

Exposita tali pacto anathomica partium monstruosam hanc conformationem componentium structura ac dispositione, praestat nunc ut hujuscemodi nostris

pro viribus genesim inquiramus. Si historias medicochirurgicas perpendere volumus hae productiones ab ordinariis naturae legibus recedentes nullis numeris circumscriptae nobis se se offerunt, ex eo quod fons ex quo erumpunt exhauriri non potest, et juxte exclamavit Petronius Arbitro:

> «Non uno contenta valet natura tenore,
> » Sed permutatas gaudet habere vices.»

Minime hinc obstupendum est, ut celebres, quoad modum, quo monstra generantur sententiis ii variarentur, qui ad hoc studium eorum operam diligenter adhibuere, inter quos Aristoteles, Zacchia, Bonet, Littre, Winslow, Lemery, Vyrrey, Haller, Blondel, et inter Italicos Valisnieri, Bianchi, Rossi, Malacarne Vincentius, Fanzago, Penada, Brera, etc. Et reapse, si nos codices illorum ~~morum~~ manu exaratos, quos medendi ars immortalitate amplissimis monumentis donavit, percurrere volumns, monstra, pront veteres et Zacchia opinabantur, in primis ex seminis vel ob qualitatem, val ob quantitatem alienatione pendere percipiemus. Excellens autem ingenii magnitudine peripateticorum institutor consuetis ejus metaphysicis rationibus monstrorum genesim explicare conatur. Nec in tenebris diuturna quaestio inter Winslow et Lemery exagitata abditur, quorum primus ea sententia versatur, quod monstra talia ab origine essent utpoteque supremi terrarum orbis arbitri, quam, ut ipse meditatur, ordo, ac uniformitas terminis definirent, omnipotentiam ostendere valerent. Hujuscemodi quaestio nostris temporibus se se rursus in conspectum offert, sed nimium exagerata notione exuta, quod nil aliud monstra, quam

summae numinis potestatis monumenta non reluctanda considerari possint; et revera, quamvis hujusmodi peculiares naturae aberrationes ac veluti portenta in aliquam ordinari et conferri possint totius physici universi utilitatem, e. g. ut ex alicujus imperfecti entis cum innumeris perfectis comparatione, eorundem magis percelleret oculos, ac delectaret pulcritudo, nihilominus vix suspicari posse videtur, quod omnium rerum auctor, atque instructor vitiosa hisce productionibus ad propriam omnipotentiam ac libertatem perspicuas reddendas indigeat. Lemery e contra illius est opinionis, quod monstra ex fortuita quadam ovi vicissitudine, quin prima humanae istius imperfectionis in ipso rudimenta existerent causam agnoscere debeant. Nec novum mihi perridiculum illud, ac stultissimum cujusdam Dani artem salutarem exercentis venit comentum, quod cum ut coeli abscessus cometas consideraret, corruptos earum humores in genitalia mulierum organa agere, ac monstruosis conformationibus originem praebere ponit. Vyrrey autem cum monstra proximos legum naturalium perturbationis ac aberrationis effectus esse existimaret, naturam determinatum in iisdem hisce erroribus ordinem assequi asseruit. De hoc tot ambagibus obvoluto, tantique momenti argumento diversimodi Haller loquutus est. Cum autem Mekel animo ad progressivam embrionis evolutionem attenderet, ipsumque gradustam ab infusorio ad perfectius usque animal scalam ascendere perpenderet, monstra ex interrupto a quacumque causa evolvendi modo cum ille ab infimo ad superioris ordinis dignitatem se se extollit generari affirma-

vit. Valeriano Aloysio Brera videtur systema nervosum spinale in germine ante omnia evolvi, et ad omnium partium ac ipsius cordis organizationem dirigendam ac disponendam ita inservire, ut illo quocumque modo deficienti, ac perturbato singulae organismi partes ei subjectae vel deesse, vel monstrifice immutari debeant.

Sed ne longiori ac molesto sermone utar omnes illas sententias, quae de hoc argumento prolatae fuere silentio praeteribo, et illico ad propositum mihi subjectum descendam; et hoc in loco matris perturbationem in primo gestationis periodo consequutam ad memoriam revocare liceat, quam nonnullum super foetum non adhuc speciei suae forma indutum influxum mihi habuisse videtur, cujus ope cum internae ejus conditiones statutum praeter modum excitarentur, irregularem systematis vascularis distributionem determinari oportebat; hoc autem systemate quod omnes humani corporis secretiones instruit, ejus cursu alterato, eaedem et speciatim quae humorem nutricium suppeditant perturbandae erant. Mirum hinc esse non debet quod hocce humore ad animalem oeconomiam summopere necessario, et in quantitate et in qualitate immutato eo incidendum esset, quod nonnullae partes illius rore haud sublevatae minime evolverentur, quod aliae immodice eodem imbutae luxuriosum vegetationis modum ostenderent, et quod aliae denique ipso depravatae vero corruptaeque indolis conspersae vitiosam conformationem assumerent. Sic quantum potui rationem de singulari, quam haecce monstruositas offert, structura subjeci, sed mihi hanc hypothesim nullum argumento lumen attulisse faten-

dum est, et videtur, quod naturae auctor « qui fecit » res magnas, quarum non est investigatio » istiusmodi arcanum velamine tenebris non rarescendis obruto obtendere voluisset, et hinc concludat Lucretius:

« Multa tegit sacro involucro natura: neque ulla
» Fas est scire quidem mortalibus omnia, multa
» Admirare modo, nec non venerare, neque illa
» Inquires, quae sunt arcanis proxima, namque
» In manibus, quae sunt haec nos vix scire putandum
» Est procul a nobis adeo praesentia veri. »

THESES

I.

Deprimentia animi pathemata non semper morbos asthenicos excitare valent.

II.

Cum stimuli excessus inflammationem pariat, eadem determinata stadia necessario percurrere debet.

III.

Non dantur inflammationes typi intermittentis.



ICONIS EXPLICATIO

FIGURA I.

Monstri prospectus.

AA Imi ventris cutis
B Pubis regio
C Cavitas
DDDD Cavitatis circumferentia
E Corpus horizontale
FF Glans.
G Frenulum
H Scrotum.
II Duo sulci.

FIGURA II.

Pars ipsius monstri dextera.

A Imi ventris cutis.
C Cavitas.
E Corpus horizontale
F Glans
G Frenulum.
H Scrotum
I Sulcus dexter

Figura III.

Pars ejus sinistra.

A Imi ventris cutis
C Cavitas.
E Corpus horizontale
F Glans.
G Frenulum
H Scrotum
I Locus ad sulcum parte opposita situm respondens.
L Foramen quod in vesicam ducit
M Parvus tumor editus ab interna vesicae lamina a partibus supernis descendenti.
N Parvus tumor ex partibus inferioribus ascendens.
O Corpus cavernosum sinistrum.

Figura IV.

Glans ac corpora cavernosa.

FF Glans.
G Frenulum.
OO Corpora cavernosa.
P Sulcus corpora cavernosa non nihil profunde dividens.



Fig 1
A
D
F
D
H


Fig 2
A
F
H


Fig 3
A
H


Fig 4